





De Vassallo feudum in alodium commutante

ORDINIS
IVRE CONSVLTORVM

IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.

DECANVS
GODOFREDVS
LVDOVICVS
MENCKEN

ICTVS

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET
PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE AVLAE AC
IVSTITIAE NEC NON IN SVMMO PROVOCATION.
SENATV CONSILIARIVS ITEMQVE COLLEGIORVM
QVAE VITEMBERGAE FLORENT IVRIDICORVM
ET IVDIGII PROVINC. LVSTAT. INFER.
ASSESSOR

O R D I N I S
I V R E C O N S U L T O R I V M
A C A D E M I A E V I T E M B E R G E N S I S
D E C A N V S
G O D O F R I D V S
L A D O V I C V S
M E N C K E N
I C T V S
I C T E N S I M I P O L O N I A R V M R E G I S P R
P R I N C I P I S D I R E C T O R I S S A X O N I A E V A L D E A C
I V S T I T I A E N E O N O M I N I S V I M I T A T I O N I S
S E N A T U C O N S I L I I S I T E M P R O F E S S O R I V M
Q U A E V I T E M B E R G A E O R D I N I S I D I O R V M
E T I V D I C I I P R O V I N C I A E S A T I S T R I A E
A S S E S S O R



acto hodie vniuersam hereditatem successori deferri posse nemo nescit. Feudalis quoque successionis spem eis, ad quos iure non pertinebat, simultanea conciliari inuestitura nostra testis est Saxonia. Ad hanc tamen adspirantes literis, vt loquuntur, reuersalibus arctissime constringi ac deuinciri feudi possessorum, ipsos adoptantium, prudentia efflagitat. Totum enim, quod utrosque inter contrahitur, negotium non aliunde, quam ex conuentionis verbis

est diiudicandum. Quo nomine feudi possessor, futurum successorem suae conformaturus voluntati, de mente clarius explananda cogitabit, ne neglecta haec cura ipsi detrimentum efficiat inopinatum. Mediocriter adeo sibi consulunt, qui, liberam disponendi potestatem conseruaturi, generalibus verbis tantum vtuntur. Ignorant feudorum iura laxius hoc interpretandi arbitrium, refrenant potius atque omnimodo auerfantur. Ipsa enim feudalium bonorum indoles reliqua inter et hoc singulare habet, quod ne Dominus quidem commutationibus feudi substantiam delibare queat. Alii maiorem quidem adhibent cautionem, dum pactum cum simultanee inuestiundo ineundum ad actus inter viuos aequae atque mortis causa extendunt, sibi que oppignorandi vendendique licentiam adscribunt. Eoque consilio plenissimam de feudo dispositionem vindicantam, simultanee vero inuestitum ab omni eam impediendi iure exclusum confidunt. Nondum tamen illos sui voti summam adeptos esse arbitror, quamque credunt alienandi libertatem plene confirmatam, multis adhuc difficultatibus vexatam deprehendent. Fac enim eum supplicem adire Principem Territorii, cui subiacet feudum, qui-

quique simul Dominus est directus, de feudo in
 allodium conuertendo. Num, impetrata hac
 commutatione, ius successionis, simultanee in-
 uestito acquifitum, extirpatum iudicabis? Certe
 dubitatione quaestio non uacat. Est de quo sibi
 timeat Vasallus. Ego, quod sentiam, dicturus
 eam tantum huic clausulae, literis reuersalibus
 insertae, vim tribuo, vt, quoad feudi essentialia nihil
 extenuantur, valeat Vasalli alienatio. Ad extin-
 guendam autem totam feudi indolem hoc modo
 nondum aditum patere iudico, nisi denuo simul-
 taneae inuestitorum impleretur consensus. Ne-
 que est quod tacito eius consensu, ex non facta
 contradictione elicitum, confirmatam credamus
 mutationem. In hoc certe casu considerationem
 non meretur fictae voluntatis coniectura. Cre-
 dendum est magis, simultanee inuestitum ius su-
 um, in ipso feudo comparatum, vbique illibatum
 remanere existimasse. *a. L. 8. §. 15. ff. quib. mod.
 pign. vel hypoth.* Ac praeter ea in causis maximi
 momenti, qualis absque dubitatione haec est feu-
 di deformatio, tacitus nullam prorsus efficaciam
 habebit consensus. Imo ne coniectura quidem
 capi in nostro casu poterit hic assensus, quem
 tunc demum, si quis contradicere potuit et de-
 buit,



buit, euinci expediti iuris est. Simultanee vero inuestitus, anteaquam ordo ipsum tangat successio-
 nis, omni iure destituitur agendi. Ex quo fit, vt
 ante nec potestas nec necessitas ipsi fuerit refragandi huic feudum in allodium conuertendi consilio. His ergo compositis luculenter patet Vafallum, siue feudi praesentem possessorem, hac inuersione feudalis indolis, simultanee inuestitum sua nullo modo priuare posse successione. Omni tamen effectu non caret, licet Dominus saltem atque Vafallus in hoc conuenerint negotio conficiendo. Virtutem enim suam praestat haec feudi in allodium conuersio, quousque alii adhuc proximiores, atque capaces feudi heredes simultanee inuestitum antecedunt. Simul atque vero ordo eum ad successionem advocat, expirat allodii qualitas, pristina feudi conditio reuiuiscit, et vsque adeo redintegratur, quasi nunquam hoc praedium a feudi indole fuerit alienatum. Inest autem huic asserto multum ambiguitatis. Omnium maxime hoc in contentione ponitur, ex quo tempore feudi restauretur qualitas. Tota vero controuersia eo redit, vt disquiramus vtrum tempus, quo ius simultanee inuestiti, sibi vindicandi feudum, deficiente proximioe masculino ena-

enatum, vtrum vero tempus factae de acquirendo feudo sibi delato declarationis considerari debeat. Mihi, ab antiquato errore postremae sententiae fauentium feuda nostra purgaturo, nihil iustitiae feudorumque principiis accommodatius videtur, quam, vt in casibus controuersis componendis, totum fundamentum in tempus delatae successionis conferamus. Consequitur exinde eo statim momento, et, quod dicitur *ipso iure* naturam redire feudi, quod allodium a quondam Vafallo effectum erat. Non est vt e longinquo repetamus huius sententiae vtilitates. Varias enim quaestiones in dubitationem ducuntur, ad quam tollendam, neglecto hoc discrimine difficillimus redditur aditus. Ponamus nempe simultanee inuestitum, delata ipsi successione, vel nolle, vel non posse, forsân inhabilem existentem, acquirere hereditatem, neque superstitem esse alium capacem feudi successorem; tunc incidit quaestio, vtrum feudum Domino aperiatur, an vero allodialibus heredibus debeat. Infinita haec futura esset contentio, nisi superior meditatio liti terminum statueret. Quod si enim in eo conuenimus *ipso iure* restitui qualitatem feudi statim ac delata est simultanee inuestito successio, facile est intel-

intellectu Domino apertum reddi. Alterius vero sententiae focii omni impetu defendent ad allodiales pertinere successores. Sed haec vltima tantis implicita est erroribus, quanta vtilitate ac aequitate prior, quam meam facio, se commendat opinio. Urgebunt a contraria parte stantes, dominum directum, feudum in allodium redigendo, omne, proprium sibi, ius refutasse, neque ad renunciata regressum patere. Ast hanc ipsam defensionem de erroribus suspectam deprehendo. Imo ab aequitatis longe recedit regulis. Quanto enim hac ratione beneficio Princeps exornet Vassallum, animum ad meditationem tantum praeparantes haud difficulter intelligimus. Quippe Princeps gratiose Vassalli sui indulgens voluntati, eius propositum secutus, hoc voluit, vt ipsius et descendendum vtilitatibus, remoto sexus discrimine, suam afferat gratiam, cum his tantum viuentibus allodii natura perduret. Eis autem extinctis omnibus, credendum minime est, nec persuaderi animo potest, intendisse Principem iura, simultanee inuestitis sua indulgentia praestita, eneruare. Maiori vitio adhuc laborat argumentum a refutatione, simultanee inuestito licita, deriuatum. Equidem non inficias eo, beneficia haec non esse inuito

inuito obtrudenda, neque voluntatem coactione quadam constringi posse. Hoc tamen omne, si concedamus maxime, nihil impedit ut Dominus directus feudum hoc apertum sibi vindicet. Casus enim in praesenti positus cernitur, ubi non alius superest legitimus feudi successor. Cui ergo refutatio fieri posset? Extraneo forsan? Commentitium hoc esset nomen. Saperet enim hoc negotium alienationem, quae sine Domini consensu quantopere legibus cohibita sit, pauci ignorant. Nulla prorsus est, eoque minus iuribus Domini nocebit. Idem decidendi iudicium dabitur, si simultanee inuestitus, feloniam commissa, se indignum reddiderit successione feudali. Est tamen quoddam adhuc subdubitandi argumentum. Scilicet ambigi posset, an iure delata tali delinquenti dicatur successio, cum ipsae de Feudis compositae Leges talis criminis reos ex successorum numero eradendos censeant. Speciem habet haec dubitatio, fucos tamen illitam. Iure enim tunc delatam intelligo hereditatem, ubi successuro nullum Iuris obstat impedimentum. Qui vero proprio facto, siue delicto indignitatem contraxerunt, non iure, sed facto, impediti dicuntur. Quo circa leges quidem,

dem, eos, ordine tangente, vocant ad successionem, perpetratum vero eos prohibet delictum. Hoc itaque modo et Domini directi et simultanee inuestiti iura a periculo, ex feudi in allodium mutatione verendo, liberata adparent. Omnis allata defensionis pars eo pertinebat, vt casuum in dubitationem venientium decisionem ad mentem aequae Domini directi mutationem sua confirmantis gratia, atque Vasalli impetrantis accomodemus. Quibus positis facilius de sequenti iudicium ferri poterit casu, quem ad pleniorum argumenti ab omni ambigendi occasione liberationem discutiendum duco: Vasallus, qui feudum in allodium conuertendum curauit, moritur. Superstites relinquit filium atque filiam. Adest quoque simultanee inuestitus. Anceps controuersia agitur, quem ex his in feudi successione anteferamus. Non exigua sane videbuntur, quae simultanee inuestiti de victoria conceptam spem alunt. Aucupabitur feudum, eo quod nullum anteponendum credit. Filii relictii ius praetensum contemnet, cum, ad allodii conuersionem, voluntate patris effectam, agnoscendam iure obstrictus, feudi se successorem gerere nequeat.

Sed

Sed spes eum fallit, cum nondum enatum
 sit ipsi ius, quo suam fundare conuenit actio-
 nem. Quoad enim ex descendantibus habilis
 adest successor, inani labore inhiat feudo simulta-
 nee inuestitus. Vtrum vero filius in praesenti
 casu defuncti patris voluntatem explere teneatur,
 est quaestio inter alios agitanda, eum vero mini-
 me tangit, parumque sua refert, quo iure filius,
 hereditatem nanciscatur; allodiali, vel feudali.
 Ne vero aliquod reliquum faciam dubium, iam
 filiam quoque ad dimidiam partem vocabo. Am-
 biguitatis haec res in Saxonia habet nihil, cum
 eo iure descendentes, nullo discrimine feudo-
 rum inito, ad paternae voluntatis obtemperati-
 onem alligentur. Extra Saxoniam vero corru-
 pta nonnullorum feudi ex pacto et prouidentia
 explanatio omnibus inuolutam reddidit difficul-
 tatibus. Haud enim exigua pars DD. tantope-
 re a regulis declinat, ut in huius generis feudo,
 filias, tempore pacti natos a necessitate vna al-
 lodialem acquirendi hereditatem atque ab allo-
 dio abstinentes ab obsequio paternae dispositio-
 nis relaxent. Haec si veritate et lege constaret
 doctrina, omnis filiae successio a fratris arbitrio
 penderet, qui, voluntatem patris implere recu-
 sans

fans filiam penitus excludere intenderet. Sed quam inconcinna haec DD. sit meditatio facile liquet. Ignorat Ius nostrum feudale consuetam hanc de feudo ex pacto et prouidentia opinionem. Et quo firmitus Iura constituunt, coniungendam esse allodiam atque feudalem successionem, eoque nomine filium, vt patris ius sui ac dispositioni obtemperet, nec ab illa recedat adigunt eo certius consequitur, filiam huius quoque dimidiae partis successionem omni iustitia efflagitare. Plura proferre instituti ratio non permittit. Nam de Clarissimi Domini Candidati nostri vita moribus ac eruditione, quam sibi indefesso parauit labore, dicendum restat. Quae eo pertinent, ab ipso conscripta hic refero.

Ego, CHRISTIANVS Gotthold HOFFMANNVS, Elterlinae, in vrbe prope Annabergam sita, A. R. S. 1713 CC XIII. natus, patre ADAMO Benjamin HOFFMANNO, Scholae Rectore, et matre MARIA CATHARINA ex gente CONRADIANA prognata gaudeo. Ipse parens me ab ineunte aetate

tate liberalibus imbuit artibus, usque dum illi placuit, ut aliorum doctrina amplius formarer. Hunc in finem me Altenburgum ad studia prosequenda mittens, curae doctissimi VVEBERI tradidit. Huius, B. STERNII, GSCHVVENDII et MOERLINI doctrinis fruius sempiternam eorum gratissima mente seruabo memoriam. Cum vero ita me profecisse et genitor et praeceptores laudati crederent, ut altiora et academica tractare possem studia, eorum consilio huic parnasso valedicentem, Philurea me allicuit, ut ibi haurirem, quod amplius studiorum meorum ratio postularet. Albo itaque academico Rectore Magnifico KLAVSINGIO adscriptus sum. Praeceptores mihi contigerunt, Viri Magnifici et Consultissimi, in Philosophia et Iure Nat. MVLLERVS, in Instit. Imp. IOACHIMVS, in Pandectarum doctrina Idem et HOMMELIVS et MENCKEN; In Iure Fœdali BAVERVVS; in Iure Germanico CRAMERVS; in Processu SIEGELIVS. HOMMELI-

MELIVS acta iudicialia referendi et sententiam
ferendi mihi monstravit viam. Ius Canonicum
MULLERVS illustravit. In disputando duci-
bus HOMMELIO et MYLIO me exercui,
quos singulos patronos atque fautores omni pietatis
cultu semper venerabor iis omnia fausta felicissi-
maque obstrictissima apprecans mente. Nunc ve-
ro quum quaedam suadent argumenta, ut ad do-
ctoralem adspirem dignitatem, a famigeratissima
Leucorea illa exornari cupio. Quapropter Incly-
tum Ictorum ordinem ea, qua decet, pietate adi, ut
illam in me benignissime conferret.

Cui desiderio eo lubentius annuit ordo no-
ster, quo certo certius per ea, quae sustinuit ex-
amina insignem suam in iure acquisitam periti-
am humanitate modestiaque coniunctam, nobis
comprobavit. Nunc itaque in eo est, ut me prae-
sidente dissertationem DE BONORVM VNI-
VERSITATIS ET PRAECIPVE CV-
RIARVM ALIENATIONE die IX.
Mensis Maii publice solennique ritu defendat.

Ea

Ea igitur, qua par est, animi obseruantia Ordinis meoque nomine rogo atque contendo, vt Magnificus Academiae Rector, Illustrissimus Comes, Perillustris Liber Baro, Patres ac Proceres et reliqui Academiae Generosissimi ac Nobilissimi Ciues studiorumque fautores sua honorifica praesentia actum hunc festiuum celebrare et illustriorem reddere velint. Quo facto ad quaeuis officiorum genera me cum Nobilissimo Candidato obligatum declaro atque promitto.

Dab. Viteberg. Domin. Iubil.

MDCCXL.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



V
C
PO
SA
AC
A
VI
PE




W 078

ULB Halle
006 666 019

3







De Vafallo feclum in alledium commulante
1740 17
05

ORDINIS
IVRE CONSVLTORVM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.
DECANVS
GODOFREDVS
LVDOVICVS
MENCKEN
ICTVS
POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET
PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE AVLAE AC
IVSTITIAE NEC NON IN SVMMO PROVOCATION.
SENATV CONSILIARIVS ITEMQVE COLLEGIORVM
QVAE VITEMBERGAE FLORENT IVRIDICORVM
ET IVDIGII PROVINC. LVSTAT. INFER.
ASSESSOR

